



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs II. De tempore corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)


conuertatur dilabitur, ac retro suat adeo, ut per hunc quasi interrumpatur, & impediatur; ac vi spiritus refracta, reciprocatque, ac spumans, quasi è conchylio sonum edat.

Argumentor secundò à posteriori: siquidem ob id aqua per angustæ fistulæ meatus contra propriam inclinationem ascendit; è contrario verò eademmet aqua per vasis superius occlusi inferiora foramina iuxta propriam inclinationem non descendit, ne utrobique detur vacuum in vniuerso, aut aëre fistulam deserente, & aqua in eius locum non succedente, aut aqua per vasis fundum elabente, & aëre eius locum non occupante. Rursus, latera folium nulla vi separari possunt, si aëri ingressus ad replendum vacuum prohibeatur. Præterea, si tabula plana super aquam expansa vndeque simul eleuetur, aquam sursum attrahet, ne inter aquam, & tabulam vacuum detur breuissimo tempore, eo videlicet, quo locum aquæ ingredi tardaret. Superius etiam ostendimus, cum de raro, & denso ageremus, quatenus hyberno tempore vasa vacui cuitandi causa rumpantur; & quatenus, etiam caro agrotantis adhibitis cucurbitulis eadem de causa sursum intumescat.

36. Argumentor tertio à priori: si vacuum daretur in rerum natura, impediretur influxus cælorum in hæc inferiora, & sublunaria, eo quod accidentia per vacuum traici, & absque subiecto diffundi nequeant. Quod autem aliqui respondent, posse cælos non influere in hæc inferiora per modicissimum tempus; cur enim inquit, lapis absque influxu cælorum illicò annihiletur? Ergo iam tantillo tempore vacuum in rebus dari poterit. Hoc inquam, non satisfacit: quia quemadmodum reliquum corpus sine influxu capitis, cælique sui, ne per breuissimum tempus conseruari potest, abscissoque capite illico exanimatur: ita similiter probabile est, mundum hunc inferiorem, & quamuis eius partem absque cælestis mundi influenza ne minimo quidem temporis spatio conseruari posse. Nec magis satisfacit aliorum solutio, videlicet dato vacuo cælos non directè, sed obliquatis radiis, ac versus latera insinuatis in mundum sublunarem operaturos: namque quemadmodum obiectum nequit emittere species suas ad potentiam nisi recto itinere, quo fit, ut manu inter visum, & obiectum interiecta defectu influxus directi visio conseruari nequeat: ita similiter probabile est, cælum non nisi linea recta qualitates ad mundi inferioris conseruationem necessarias demittere, & si quas linea indirecta infundit, eas ad nullius corporis sublunaris conseruationem sufficere. Qui plura velit de naturali impossibilitate vacui intra lunæ cauum, is adeat D. Hurtad. disp. 14. Physicor. sect. 6. & Conimbricens. lib. 4. Physicor. cap. 4. quæst. 1. art. 2.

37. Dubitabis primò: quæ sit causa motus illius, quo graui, & leui, impediendo vacuo, contra propriam inclinationem extra proprium centrum feruntur? Respondeo, causam, quæ locum euacuat, ab eoque corpus expellit, ad eundem locum replendum corpora vicina attrahere: hinc est, ut qui tabulam ex aqua attollit, maius pondus sentiat, quam si eam aliunde veheret. Probabile etiam est, ipsa corpora graui, & leui saltem partialiter se se mouere ad replendum vacuum, cum motus ille communi bono deser-

uiat, ea verò ad commune bonum innatam inclinationem habeant. Dubitabis secundò: an possit exerceri motus localis in vacuo? Respondeo affirmatiuè: quia motus localis suapte natura terminatur ad vbi intrinsecum rei: at vbi intrinsecum in vacuo continuè produci potest: ergo & motus localis. Minor suadetur: superficies supremi cæli suum vbi intrinsecum habet, illudque sempiterna conuersione variat: at tale eius vbi non in loco reali extrinseco, sed in vacuo producitur. Dubitabis tertio: motus in vacuo factus quam durationem haberet? Albertus, Ariminenis, & alij docent, motum in vacuo per actum non tempori, sed instanti mensuratum iri. Cæterum mihi probabilius videtur, non nisi tempore successiuo rem per inane moueri posse: ita Scotus in 2. quæst. 9. B. Thomas in 4. distinct. 44. quæst. 2. art. 3. & vtriusque non pauci sectatores: item ex nostris Hurtadus citata disputat. 14. Physicor. sect. 6. num. 60. Conimbric. 4. Phys. cap. 9. quæst. 4. & 5. Bartholom. Amic. tractat. 21. quæst. 4. dub. 1. artic. 2. Cardinalis Tolet. cap. 9. quæst. 9. & Tellez disp. 32. sect. 5. Huius autem sententiæ, quam ut verior rem amplectimur, ratio est: quia terminus à quo, & terminus ad quem motus in vacuo facti inuicem distarent: quis enim neget polum Arcticum, & polum Antarcticum eandem, quam nunc, distantiam habituros; tamen corpora inter eos existentia perirent, solumque immanem quandam vacuitatem post se relinquerent: Igitur ob hanc distantiam motus in vacuo factus tempore egeret, ut à termino à quo ad terminum ad quem perueniret.



TRACTATUS II.

De tempore corporis naturalis.

CAPVT PRIMVM.

Quid, & quotuplex sit tempus, seu quando corporis naturalis & cuiusuis alterius rei?

1. **Q**UÆ de loco, siue vbi supra differuimus, magna ex parte tempori, siue quando prædicamentali possunt accommodari. Quemadmodum enim vbi rei cuiusuis eius locus est, & è conuerso, ita similiter quando rei nihil aliud est, quàm eius tempus, siue quæuis duratio, aut mora, quam in existendo trahit: ita tamen, ut quoduis instans eius moræ, quando rei non raro appelletur: haud aliter ac etiam quoduis punctum loci interdum locus vocatur. Hac de causa rem esse aliquando, aut quodocunque perinde est, ac eam in aliqua, vel in omni temporis, alteriusue durationis differentia existere. Et quidem hoc argumento iam olim vsus est B. Damascenus cap. 38. Dialect. ad probandum nobiscum, quod tempus, & quando rerum non distinguantur inuicem. En eius verba: *Quando tempus ostendit: interroganti enim, quando factum est hoc, dicimus, anno præterito antepæterito, que tempus significant.* Confirmatur: non est, cur potius

potius sint idem locus, & ubi rerum, quam earum tempus, & quando: at quod illarum locus, & ubi sint idem, & probatum est à nobis cap. 1. tractat. præced. & est expressa sententia B. Damasceni citato cap. 38. Dialect. in hæc verba: *Vbi locum significat: interroganti enim, ubi est ille: dicimus in domo, in ciuitate: hæc autem locum significant: Ergo, &c.* Quæ cum ita sint, probare non possum, quod docet Gilbertus quando significare relationem ex temporis incidentia telictam, non verò tempus ipsum.

Duratio autem, alia est realis, alia imaginaria: hæc nec in interuallo successiuo medio inter ens reale, & omnino nihil, nec etiam in carentiis, aut possibilitatibus durationum consistit, ut sentiunt hi, qui tractata præcedenti, seruatæ proportionem de loco imaginario, philosophantur; quin potius talis duratio imaginaria est merum nostri intellectus figmentum, quo ad explicandas durationes reales vtimus: uti supra in simili docuimus. Porro intellectus sæpe fingit, ut res non fictas, sed veras non solum intelligat, verum etiam, quod plus est, exequatur: aut non Deum repugnare, Spiritum sanctum non procedere à filio, & vtrumque simul cum Patre agere necessitate naturæ, intellectusque, & consilio carere, aliæque plura cōfingimus, ut ex his conditionibus fictis, & impossibilibus eius perfectiones melius colligere possimus: An non etiam artifex paruam quandam, imaginariamque domum, & exiguum idolum fingit, sibi que proponit, ut veram, amplamque domum moliri possit? Mirum igitur non est, quod noster intellectus similibus de causis fingat spatia imaginaria temporis, & loci, ad quæ proculdubio respexit Seneca epist. 8. ibi: *Sextum genus est eorum, quæ quasi sunt tanquam inane, tanquam tempus.*

Quod autem duratio non solum perfecta, cuiusmodi est æternitas, & æuum, sed etiam imperfecta, cuiusmodi est tempus, ens reale sit; ac proinde alterum nostræ diuisionis membrum teneat, facile ostendi potest aduersus quosdam Philosophos, quos tacitis nominibus refert Peregrinus lib. 2. c. 12. siquidem ubi rei est verum ens reale: ergo & quando, siue duratio. Deinde: si qua ratione duratio præsertim temporalis ens reale non esset, maxime quia partes eius numquam præsentibus esse possunt, sed aut præteritæ, aut futuræ necessario sunt, solumque instans aliquod indiuisibile earum præsens esse potest, ut aduersarij nobis obiciunt: at hæc ratio nulla est: tum quia iuxta illam motus successiuus localis inter non entia connumerari deberet: tum etiam quia, ut partes temporis sint entia realia, satis est, ut successiuè existere possint, atque per nunc præsens copulentur; opus verò non est, ut simul, ac permanenter existant, præsentisue quoad esse ipsi intrinsecum aliquando sint. Tandem hæc ipsa sententia constat ex communi hominum omnium existimatione, & locutione, cui fauet sacra pagina 1. Genes. ubi dicitur: *Deus fecisse luminaria in firmamento caeli, ut essent in signa, & tempora, dies, & annos:* Quibus verbis temporis interualla tanquam entia realia, & à Deo facta exprimuntur. Rursus: duratio alia est intrinseca vel per vnionem, vel per identitatem rei duranti: alia verò est vtroque modo extrinseca, ut cum sexaginta anni, siue conuersiones solares alicuius vita, siue duratio dicitur. Præterea duratio interdum cum ubi proportionem habet, & est quando rei, quo-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

tièque à substantia rei distinguitur, eius accidens absolutum est ob eas rationes, quibus supra ubi esse accidens absolutum statuimus: interdum verò duratio cum vicatione proportionem seruat, & est vnio illa, qua res tempori suo coniungitur, in illoque existit: haud aliter ac vnicatio est vnio rei cum spatio loci: quare sicut vnicatio est modus, ita similiter duratio in hoc sensu accidens modale est, eo ipso, quod à re durante distinguitur.

Tandem duratio in tempus, æuum, & æternitatem dissolari solent: tempus est duratio vtrinque finita, & principio, ac fine prædita, ut dies, annus, sæculum, &c. Quò spectare videtur illa temporis descriptio, (& qualis qualis explicatio ab Aristotele lib. 4. Phys. tradita) tempus est numerus motus secundum prius, & posterius: quod enim hæc non sit propria definitio, ostendo primò: quia numerus est formaliter quantitas discretæ, si à rebus abstractus sit, ut cum binarium, vel ternarium, ut sic concipio; vel numerus formaliter est quantitas continua, si rebus non quibuscunque, sed vnitis concretis sit, ut numerus binarius, vel ternarius partium continui: at tempus formaliter, ac ratione nostra ad neutram quantitatem attinet, sed potius ad prædicamentum quando: tempus ergo per numerum, velut per rationem formalem explicari, proprièque definiri nequit. Rursus: motus localis successiuus quatenus talis pertinet ad prædicamentum actionis: at tempus non est ratione nostra actio: ergo nec motus, ac proinde per eum definiri nequit. Vltèrius possibile est duratio indiuisibilis, essentialiter affixa vni horæ: v.g. ea autem duratio esset tempus, nec enim æuum, aut æternitas esset: at partes numerabiles actusque distinctas, & successiuas non haberet: data ergo explicatio temporis numerum, & successionem partium ei attribuens omni tempori etiam possibili non conuenit, sicuti ad definitionem oportet, sed dumtaxat tempori existenti, sicuti ad qualem, qualem descriptionem sufficit.

Æternitas est duratio vtrinque infinita, omnique principio, & fine carens: huiusmodi est duratio Dei, necnon ea, qua res ab æterno creata nunquam desineret. Porro æternitas trifariam sumi solet, propriè, propriè & communiter, siue impropriè: æternitas propriè sumpta à Boëtio definitur interminabilis vitæ tota simul, ac perfecta possessio: totalitas simultanea, siue simultas totalis denotat, id, quod hac ratione æternum est, omni successione carere. Perfecta verò possessio denotat, illud non solum in suo esse, sed etiam in quouis prædicato sibi intrinseco, & quouis actu immanenti ea successione carere: interminabilitas autem denotat, illud non solum successione, & mutatione omni carere, sed etiam eius incapax esse, & ens omnino necessarium, & immutabile esse: æternitas propriè sumpta est duratio carens principio, & fine mutationis tamen in suo esse, suisque accidentibus capax: æternitas impropriè sumpta modò significat æuum, siue durationem aliqua sui parte finitam: qua ratione iusti in vitam æternam, & reprobi in ignem æternum abituri dicuntur, modò verò significat tempus vtrinque finitum, longissime tamen duraturum. Qua ratione in Scripturis posteros Abrahami terram promissam æternum possessuros, secundus circumcisionis fore æternum, montes etiam & colles esse æternos, aliæque similia perhibentur.

Bb

Æuum

Æuum est duratio inter aternitatem, & tempus media: ac partim finita, & partim infinita; quæque vel incipit, vel aliquando desinit, si tamen incipit, nunquam desinet, aut si desinet, nunquam incipit: qua ratione Angelus, & animus durat, nec non creatura, quæ ab æterno usque ad hoc instans extitisset. Hæc est æui prima, ac propria significatio: improprie tamen significat tempus, ut cum res corruptibiles, atque adeo tempori commensuræ, longæ aut brevæ dicuntur: atque æuum ita accipere videtur Maro 2. Æneid. ubi de Anchise Troiani incendij flammis eripi nolente, ac laborem fugæ recusante sic fatur.

Vos, o quibus integer æui

*Sanguis ait, solidaque suos stant robore vires,
Vos agitate fugam.*

Et verò, quamvis vna tantum sit æternitas realis, ea nimirum, quæ Deo convenit; cæterum tempus, & æuum pro rerum creaturarum multiplicitate multiplicatur, nullaque creatura est, quæ ut proprium locum, sic etiam proprium tempus, aut æuum, peculiarémque sibi durationem non fortitur: quapropter ut expendit Augustinus lib. 11. Confession. cap. 23. *Pugnante Iosue sol stabat, & tempus ibat, quo videlicet pugna illa gesta, atque finita est; cessante etiam orbium cælestium motu, si reverteretur rota siguli per suum temporis spatium circulos gyrosque suos efficeret.* Tametsi autem plura sint tempora, tum intrinseca rebus, tum eis extrinseca, quæ aliorum temporum mensuræ esse queant, tamen tempus illud, quod corpora cælestia motu suo conficiunt, propter eius uniformitatem, perpetuitatem, ac notissimam omnium alternationem, aptissima durationum omnium mensura est, ac proinde præcipue, & per antonomasiam tempus appellatur: atque in hoc sensu vnum tantum esse tempus cum Aristotele reliqui Philosophi tenent. An autem æuiternorum omnium vnum etiam æuum detur, haud adeo constans est: Thomistæ enim cum B. Thoma 1. part. artic. 6. docent, æuum supremi Angeli esse mensuram æternorum omnium: alij verò eorum tenent, æuum animæ Christi rationem illam mensuræ sibi vendicare. Scotistæ cum principe suo 2. sententiar. d. 2. docent, æuum supremi Angeli metiri durationem Angeli sibi proximi, & huius etiam æuum durationem alterius sibi proximi, & sic dereliquis servato ordine. Cæterum Occamus, Durandus, Gabriel, Henricus, & Egidius probabilius sentiunt, nullum esse æuum reale, quod æuiternorum omnium mensura præcipua, ac potissima sit, ac per antonomasiam æuum dici mereatur: ratio huius est, quia nullum est æuum, quod aliis omnibus magis perpetuum, ac stabile, magisque uniformius, ac notum sit: tam enim perpetuò, ac stabiliter duratura est anima minimæ perfectionis, si qua talis sit, ac supremus Angelus: nec vnus duratio notior nobis est, quam alterius:

*imò si aliquod est vtriusque discrimen, durationem animæ
quàm Angeli melius
novimus.*

CAPVT II.

An tempus, siue duratio corporis naturalis, & cuiusvis alterius rei creata ab eius existentia realiter distinguatur.

Questio hæc celeberrima est, nullique totius Philosophiæ inferior, si eius difficultas, atque inde nata sententiarum varietas spectetur. Prima sententia, atque inter scholasticos magis recepta tenet; durationem rei creatæ nullo modo realiter distingui ab eius existentia, tametsi hæc indiuisibilis, ac permanens sit: ita cum B. Thoma 1. part. qu. 10. art. 4. & 5. & quodlib. 10. art. 4. Capreolus, Caietanus, Soncinas, alique plures Thomistæ: ita etiam cum Scoto dist. 2. q. 1. plerique eius asseclæ: id ipsum etiam tuentur ex nostris P. Suarez disp. 50. Metaphys. & P. Valquez 1. part. disp. 13. necnon Amicus in Phys. tract. 2. 2. quæst. 1. dub. 1. Gilius 1. part. lib. 2. tract. 10. c. 6. & novissimè Tellez in Metaphys. disp. 45. sect. 1. item Valentia, Molina, Pererius, & alij. Secunda sententia est; durationem non distingui realiter adæquatè ab existentia quantumlibet permanenti, & indiuisibili, sed tantum realiter inadæquatè, eamque nihil aliud esse, quàm aggregatam existentia, & temporis extrinseci, cui res collabatur: ita Occamus in 2. quæst. 10. & Gabriel in 2. distinct. 2. quæst. 1. art. 1. alique Nominales, quibus Hurtadus disp. 17. Metaphys. sect. 1. Ouedus controuers. 16. Physic. punct. 1. §. 3. & multi recentiores nostri ad stipulantur: horum tamen alij tempus extrinsecum reale: alij verò tempus imaginarium de ratione durationis esse statuunt. Tertia sententia est; durationem cuiuscumque rei creatæ nihil aliud esse re ipsa, quàm eius existentiam: cæterum existentiam quamcunque creatam esse successivam, & quouis momento aliam semper, aliamque: ita nonnulli, quos supressis nominibus referunt Hurtadus disp. 8. Metaphys. sect. 4. subsect. 4. Pererius lib. 12. Physic. cap. 6. & Henricus quodlib. 3. quæst. 11. Quarta sententia est: durationem cuiuslibet creaturæ ab eius existentia realiter distinctam esse. Hanc opinionem tuentur Seraphicus Doctor in 2. distinct. 2. artic. 1. quæst. 3. Argentinas ibi quæst. 1. art. 2. Mairon quæst. 2. Henricus vbi supra, Iauellus 4. Physic. quæst. 10. Richardus tametsi problematicè: eandem etiam sententiam tuentur Banez 1. part. quæst. 3. art. 4. Sotus 4. Physic. cap. 14. & plures Thomistarum, qui durationem in relatione mensuræ collocant, aliunde verò relationem omnem à fundamento, & termino realiter modaliter distinguunt. Item P. Salas tom. 1. in 1. 2. tractat. 7. disp. 2. num. 122. Conimbricenses lib. 4. Phys. cap. 14. quæst. 14. art. 1. & 2. Rubius 4. Phys. quæst. 4. Arriaga disputat. 5. Phys. sect. 1. Compton. disputatione 38. sectio. 1. inter reliquos etiam neothericos nostros hæc sententia communior est.

Quam ipse amplector, & superiorum sententiarum impugnatio suadeo: ordior autem ab ea, quæ primo loco recensita est: potest dari existentia Petri, quin duret vno anno v. gr. ergo duratio annua Petri, & eius existentia realiter distinguantur, vel certè separabilitas realis realem

lem distinctionem nusquam arguet. Rursus productio Petri, & eius conservatio sunt actiones realiter distinctae, ac separabiles, cum Petrus produci & non conservari possit: ergo terminos realiter distinctos respiciunt: at productio Petri ad eius existentiam terminatur, & eius conservatio ad eius durationem, cum Petrum produci sit fieri, ut existat, & esse habeat, cum vero conservari sit fieri, ut duret, atque in esse perseveret: igitur duratio, & existentia Petri realiter distinguuntur. Deinde tertio: duratio Petri, & duratio Pauli sunt inaequales, & altera altera maior est, eo quod unus alio plus duret: at huiusmodi inaequalitas sustineri non posset, si duratio Petri, ac Pauli ab utriusque existentia realiter indistincta esset; siquidem utriusque duratio non minus, quam existentia esset indivisibilis, & tota simul: inter extrema autem indivisibilia inaequalitas nulla datur. Quis non videat, punctum indivisibile quantitatis alio puncto maius esse, maius veloci spatium occupare non posse? Nec quidquam officit, quod duratio Dei, licet indivisibilis, ac tota simul sit, maior tamen infinities sit quamvis creata duratione: quia nimirum Deus infinities plus durat, quam vlla creatura temporalis; aut aeterna: siquidem duratio Dei formaliter tantum indivisibilis est; aequivalenter tamen, ac virtualiter divisibilis est, quia essentialiter est extensa, & moram quandam minimè interruptibilem trahit: huiusmodi autem mora, & extensio divini esse, seculis imperfectionibus, perfectionem partium realiter distinctarum, quibus creaturae in suo esse immorantur, & distenduntur, reuera continet: at existentia Petri talem moram, & extensionem sibi essentialem non habet, & non solum formaliter, sed etiam virtualiter indivisibilis est: quomodo ergo talis existentia, & duratio cum illa identificata alteri durationi etiam indivisibili inaequalis esse, eaque maior, aut minor censi possit?

Quarto argumentor: si duratio Petri foret reipsa eius existentia, & nihil aliud, sequeretur durationem Petri esse indivisibilem, permanentem, totam simul, omnisque successionis expertem: haud aliter ac huiusmodi praedicata in eius existentiam conveniunt: hoc autem consequens, quamvis adversariis in confesso est, absurdum tamen esse ostendo, primò: quia inde fieret, in nulla duratione creata esse praeteritum, aut futurum, sed dumtaxat praesens: haec enim differentiae convenire nequeunt nisi rei, quae partes distinctas, & non permanentes, aut simul existentes, sed potius sibi inuicem succedentes sortitur: id enim, quod praesens est, futurum non est; & quod praeterit, praesens, aut futurum non est: ulterius praesens, praeteritum, & futurum simul non sunt, sed potius altera alteri succedunt: quod autem aliqua duratio creata praeteritum, ac futurum non habeat, alienum videtur à mente Patrum, qui solius Dei proprium id esse agnoscunt: Deus autem inquit Isidorus lib. 7. origin. cap. 1. tantum est, qui non novit fuisse, aut futurum esse. Eadem ratione Damascenus, Anselmus, & alij Patres loquuntur. Secundo ostendo falsitatem consequentis: siquidem inde fieret durationem Petri necessariò aeternam, infinitamque esse, eamque interrupti à Deo non posse: duratio enim hodierna Petri, & eius duratio crastina, eaque, quae nudius tertius, nudius quartus, & sic in

infinitum exitura est, omnino eadem reipsa est: ergo ex suppositione, quod primam habuerit, non poterit etiam diuinitus reliquas omnes non habere; haud secus, ac si eadem indivisibilis vbicatio ad plura loca essentialiter extenderetur; ex suppositione, quod in vno existeret, non posset non reliqua occupare.

Plures adversariorum cum P. Suarez, ubi supra, respondent; Petrum durare aliud non esse, quam eius existentiam semel productam postea suam carentiam excludere, nec fieri posse, ut detur existentia Petri cum hac habitudine ad suam carentiam, quin duret: cum ergo Petrus per suam existentiam excludat suam carentiam, & carentia carentiae aliquid positivum sit, certè Petrus per suammet existentiam durare poterit, licet duratio ea ratione nostra, & vi cuiusdam connotationis differat ab existentia. Deinde negant, productionem rei, & eius conservationem esse actiones realiter distinctas, tantumque aiunt, esse actiones ratione nostra diversas: quatenus altera facit, ut res absolute existat; altera vero, ut res existat eademmet existentia, excludente tamen suam carentiam, postquam semel exstitit. Praeterea inaequalitatem durationum quantumvis indivisibilium explicant per easdem carentias: tunc enim una duratio indivisibilis alteri aequalis est iuxta eos, cum ambae simul carentiam suam excludunt: tunc vero inaequales sunt, unaque maior, alia minor, cum una prius, vel posterius, quam altera, carentiam suam tollit. Tandem docent; durationem creatam quantumvis indivisibilem, successionisque intrinsecae expertem, esse tamen capacem successionis extrinsecae, videlicet in ordine ad suam carentiam, quam excludere, & cui succedere, vel etiam à qua excludi, & excipi potest: huiusmodi autem successionem sufficere, ut duratio postquam semel exstitit, à Deo destrui possit, atque ut in ea non solum praesens, sed etiam praeteritum, ac futurum reperitur.

Verum solutionem hanc primo argumento non satisfacere hunc in modum ostendo: potest dari existentia Petri, quin postea excludat suam carentiam: ergo hoc, quod est, eam postea excludere suam carentiam erit realiter distinctum ab illa. Declaratur: aliud est existentiam excludere suam carentiam, aliud, quod ea exclusio nunc, vel postea sit: existentiam, & exclusionem carentiae illius realiter indistinctas esse non diffiteor: at quod ea existentia, & exclusio postea sit, cum tunc possit non esse, nequit non esse entitas aliqua realiter distincta ab utraque: vel certè realis separabilitas realem distinctionem nullibi arguet. Eandem etiam solutionem secundo argumento non magis satisfacere probò: siquidem, quamvis productio rei prout excludentis postea suam carentiam ab eius conservatione realiter indistincta sit, pro eo, ac adversarij docent; ceterum productio rei secundum se repetiri potest absque productione rei, prout in sequentibus instantibus carentiam suam excludentis: productio ergo rei in vno sensu sumpta realiter distinguitur à productione rei aliter sumpta; ac proinde prima productio rei ab eius conservatione. Rursus eandem solutionem tertij argumenti vim non labefactare ex dictis constat: potest enim duratio creaturae existere absque eo, quod posterius, seu serius, quam duratio alterius creaturae carentiam suam excludat; ubi iam separabilitas, ac distinctio realis durationis à re durante manifestè elucet.

12.

Denique solutionem illam, qua postremo argumento occurrit, hac ratione conuello: nulla res indiuisibilis; & tota simul, ex suppositione quod semel sit, potest non esse: at iuxta aduersarios duratio cuiuscunque creaturae est indiuisibilis, & tota simul: ergo ex hypothese, quod semel detur, non potest non dari, siue, quod perinde est, ex hypothese quod semel detur, nequit dari eius carentia; ac proinde successionis extrinsecae ab ea carentia desumptae incapax est: ex quo fit, vt talis duratio à Deo destrui, futurumque, aut praeteritum admittere nequeat. Alia est ratio durationis partibilis, quam nos adstruimus: siquidem ex suppositione, quod vna eius pars existat, potest alia non existere, eiusque carentia à Deo poni. Replicabis tamen; ex suppositione, quod indiuisibilis duratio sit in vno instanti, non dari carentiam illius in eodem instanti, secus verò in alio: quia hinc, non verò inde eandem rem simul esse, & non esse sequeretur. Contra tamen: quia duratio Petri non constituitur iuxta hos Authores per instantia vlla à se distincta, sed seorsim ab iis successiua, finita, atque dominio Dei subiecta intelligitur: deserunt ergo suam doctrinam, & ad aliam à nobis mox impugnandam confugiunt. Rursus ex suppositione, quod forma sit in hac materia, nequit carentia illius esse in alia materia, soliusque vnionis carentia in ea esse potest: Petrus etiam si existat in hoc loco, nequit in alio dari illius carentia: ergo etiam ex suppositione, quod duratio indiuisibilis sit in hoc instanti, nequibit eius carentia dari in alio.

13.

Alij aduersariorum respondent nostris argumentis, durationem esse existentiam, non tamen vtcunque sumptam, sed prout se ipsa intrinsecè, & essentialiter connotantem tempus extrinsecum: pro varietate autem huius connotationis posse Petrum existentem durare, vel non durare, & Paulo quoad durationem esse æqualem, vel inæqualem: ac demum posse durationem quamcunque destrui à Deo, & suscipere fore, vel fuisse. Contra tamen, primò: quia, vt mox ostendam, potest Petrus durare, quin vllum detur tempus extrinsecum reale, vel imaginarium: at tunc nulla daretur eiusmodi connotatio: ergo per eam Petrus non durat. Contra secundo: quia in Metaph. lib. 3. tract. 6. cap. 12. clarè ostendam repugnare, vt aliqua connotatio, aut habitudo fundamento essentialis sit, quæ ei adesse, vel abesse possit. Contra tertio: quia idcirco similitudo v. gr. potest esse essentialis soli fundamento, vt hoc interim gratis largiamur, quia concurrente termino cum fundamento nequit diuinitus non resultare similitudo in fundamento: at habitudo ad tempus extrinsecum, & relatio simultatis, aut coexistentiae potest non resultare in Petro, licet ipse, & tempus secundum se existant, vt mox probabo.

14.

Aggrediamur iam impugnationem secundae sententiae: potest dari Petrus, & instans *A.* reale, vel imaginarium, quin Petrus duret in eo instanti, illius coexistat: ergo hoc, quod est, Petrus durare, aut existere in eo instanti, est aliquid distinctum ab existentia Petri, & ab existentia instantis. Respondent aduersarij; non posse dari Petrum, & instans simul, quin Petrus in instanti duret, & existat, licet successiue, & diuim absque alterius in altero duratione dari queant. Contra tamen: quia potest Petrus exi-

stere secundum se, & etiam instans secundum se, quin simul existant; videlicet, si successiue existant, alterque alterius existentiam antecuerat, ad eamque nunquam perueniat: ergo Petrum, & instans existere simul erit aliquid realiter distinctum ab existentia Petri, & existentia instantis secundum se sumptis. Propterea alij respondent; durationem Petri in instanti *A.* esse Petrum, & instans, & volitionem, qua Deus efficaciter statuit, vt Petrus in illo instanti existat: haec autem tria absque duratione reperiri non posse. Verum in primis, cum omnis res sit quanta, qualis, ad aliquid, agens, patiens, ac vbicata, & non per denominationem extrinsecam à volitione Dei desumptam; an non friuolum est, per eam denominationem rem durare? Quasi verò hoc praedicamentum reliquis omnibus altioris conditionis sit, cum tamen nullum eo magis fluxum habet? Rursus: si homo durat per volitionem Dei, quid vetat, cum etiam existere per aliquod praedicatum diuinum, vt Manichaei delirabant? Praeterea: eiusmodi volitio Dei quod obiectum habet, ubi Petrum in hoc instanti existere decernit? Non enim existentiam Petri, & existentiam instantis, cum amba dari possint, quin Petrus in eo instanti existat: non semetipsam; quid enim refert, actum aliquem Dei seipsum velle, vt Petrus in instanti aliquo existat potius, quam non existat?

Argumentor secundo contra secundam sententiam: actio conseruatiua amoris liberi Dei est actio realiter distincta ab actione eius primò productiua; siquidem altera sine altera dari potest: ergo aliquid producit vna; quod non producit alia: nec enim in eundem terminum diuersa actio quouis instanti terminatur, vt supra lib. 5. tr. 1. cap. 3. ostensum manet: & vt ab æquitate rationis suaderi potest contra aduersarios, qui vnus existentiae non nisi vnā tantum indiuisibilem durationem possibilem esse admittunt. Quid igitur agit conseruatio amoris, quod eius prima productio non agit? Non quidem existentiam amoris secundum se sumptam; cum hanc prima productio attigerit: non tempus extrinsecum imaginarium; quippe quod improducibile est: non etiam tempus extrinsecum reale, nempe motum cœli, vt constat: non etiam coexistentiam amoris, & temporis extrinsecè labentis: siquidem hac coexistentia iuxta aduersarios aliud non est, nisi aggregatum existentiae, & temporis: eo autem ipso, quod conseruatio non producat vllam partem eius aggregati, nec ipsum aggregatum producere poterit: reliqua igitur est sola duratio amoris ab eius existentia, & etiam tempore distincta, quæ conseruationem, & non primam productionem terminet.

Non me latet, aduersarios velle, primam productionem amoris, & eius conseruationem esse eandem realiter actionem, multiplicem tamen, ac diuersam ratione nostra; prout videlicet aut solum primum instans, aut sequentia connotat. Ceterum facile refelli possunt: nisi enim amor primò productus actione realiter distincta, & superaddita conseruetur, inintelligibile prorsus erit, quatenus in conseruatione amoris nouum exercitium libertatis, nouumque meritum eluceat: nec enim per productionem amoris secundum se, quæ iam praecessit; nec per productionem temporis extrinseci, quæ ficta, & chymica est: nec etiam per productionem coexistentiae vtriusque,

15.

utriusque, siue aggregati ex amore, & tempore, quæ nulla etiam admitti potest, libertatem de nouo exercere, ac meritum meum augere possum: concedenda igitur est conseruatio amoris realiter distincta, per quam libertas denuo exerceri, & meritum augeri queat. Argumentum numero superiori positum confirmari potest ex eo, quod amor v. g. ex suppositione, quod semel existat, non possit etiam diuinitus destrui iuxta contrariam sententiam. Quid enim destruere potest voluntas destructura amorem? Non eius existentiam secundum se, quia hæc ex suppositione, quod sit, nequit diuinitus non esse; atque ad summum potest non esse respectiue ad aliquod tempus: non etiam tempus extrinsecum, quod potius labitur destructo amore: non coexistentiam amoris, & temporis, siue aggregatum utriusque: aggregatum enim destrui nequit, singulis eius partibus indestructis: non tandem durationem mediam utpote quam aduersarij non admittunt.

17. Argumentor tertio contra eos, qui durationem in existentia, & tempore imaginario constituunt: tempus imaginarium est merum figmentum nostri intellectus, atque ens solius rationis: at Petrus durare potest absque eo, quod intellectus aliquid fingat aut vllum ens rationis comminiscatur: ergo & absque spatio imaginario: ac proinde hoc non constituit intrinsecum, & essentialiter durationem. Hinc argumentor quarto: potest Petrus diuinitus durare, quin vllum detur tempus extrinsecum reale, & absque eo, quod caelestia corpora moueantur: ergo tempus reale extrinsecum durationem Petri essentialiter non constituit. Confirmatur vtrumque argumentum: quia cum affirmatur Petrum existere nunc, & non postea, necnon à Paulo tempore distare, eoque priorem, vel posteriorem esse, datur aliqua entitas vera, & realis, quæ harum affirmationum veritatem fundet: ea autem entitas nec est existentia utriusque, nec etiam adiacentia temporis veri, aut ficti, vt in simili ostendimus, cum de vocatione pauli supra nobis sermo esset: ergo talis entitas est duratio realiter distincta à re durante, & tempore labente.

18. Superest iam tertiæ sententiæ impugnatio, quam in hunc modum adhibeo: si existentia rei esset successiua, existentia rei vi vnus existentia à quauis alia separari, & sine illa aliquandiu existere posset, atque adeo essentia, & existentia realiter distinguerentur, cuius oppositum in Metaphysica demonstrabitur. Rursus eandem sententiam impugno ex principiis nostræ fidei, iuxta quæ idem rationale esse quod peccauit, puniatur, & quod bona opera exercuit, eorum præmio afficietur: hæc autem ita se habere non possent, si esse rei esset essentialiter successiuum, & non idemmet heri, quod hodie, & in æternum. Præterea aut omnis experientia fallax, & infida est, aut Petrus habet idem esse heri, & hodie, & sic vltius donec necessitati concedat. Quod si circa permanentiam existentia fallimur omnes, & sensu refragante nullius rei esse statum habet, idemve diuersis temporibus est: quæ iam experientia, quæ ratione naturali impugnari poterit stulta illa, & merito antiquata sententia Heracliti, & Grætyli, iuxta quos non solum existentia rerum, verum etiam essentia singulis momentis variantur, nullaque res permanet, sed

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

more labentis fluminis alia semper aliaque est, esto nobis eadem videatur?

CAPVT III.

Argumenta contraria soluntur.

19. Vi nostræ sententiæ refragantur, multis eam argumentis oppugnat. Arguunt primo: Deus Optimus Maximus durat in quauis temporis differentia: at non per durationem aliquam accidentariam ab eius existentia, & tempore labente distinctam, cum Deus omnis accidentis expers sit: ergo similiter creatura seipsa absque vlla duratione superaddita poterit durare, & tempori fluenti coexistere. Respondeo concessio antecedenti quoad vtramque partem, & negata consequentia: idcirco enim Deus coexistit instanti A. verbi gratia, in eoque durat præcisè per se ipsum, & aduentum instantis A. seorsim à quauis alia duratione intermedia, quia implicat Deum existere, & instans A. existere, quin Deus in eo instanti duret, eique coexistat, videlicet ob æternitatem Deo essentialem, qua omnia temporis discrimina necessario assequitur: at potest dari creatura, & instans A. quin creatura duret in instanti A. eique coexistat. Fateor tamen possibilem esse creaturam aliquam se ipsa essentialiter determinatam ad omne, vel ad aliquod temporis spatium, & huiusmodi creaturam, si daretur absque duratione distincta, se ipsa duraturam iuxta ea, quæ disputabimus inferius inter agendum de non repugnantia alicuius creaturæ permanentis ab æterno.

Arguunt secundo: quamuis existentia indiuisibilis sit, ac tota simul, tamen coexistit modò huic durationi successiua, modò alteri durationi: & sic de alijs, quas habitura est, donec destruat: at hoc euenit, quin inter se existentiam, & durationem successiuam mediet alia ab vtraque distincta, alias infinitus durationum processus manifestè sequeretur: igitur existentia rei, quantumlibet indiuisibilis, ac permanens, poterit coexistere modò huic tempori extrinsecum, modò alteri, & sic de reliquis, quin tamen propter eiusmodi coexistentiam necessaria sit aliqua duratio media inter existentiam rei, & tempus extrinsecum. Respondeo: nequit dari diuinitus existentia creaturæ permanentis, & duratio successiua ei vnita, quin creatura permanens tali durationi coexistat: vnde sine alia duratione ei coexistere poterit: hæc autem ratio non militat in existentia, & tempore extrinsecum, quæ sine coexistentia existere possunt.

20. Arguunt tertio: arbor propter ripam alicuius fluminis ramos attollens diuersas aquas successiue obumbrat, & modò his, modò illis localiter correspondet: quin tamen arbor locum mutat, aut diuersum vbi intrinsecum in diuersis temporis momentis sortiatur: ergo similiter creatura permanens, quin durationem aliquam intrinsecam successiue mutat, & aliam, aliamque continuò acquirit; poterit tamen modò his motibus celorum, modò illis, siue quod perinde est, diuersis temporibus extrinsecis absque intermissione labentibus correspondere, & coexistere. Respondeo in primis: vt arbor aquis continuò labentibus localiter correspondeat, iisque vicina sit, opus

Bb 3 habet

habet vibratione à se distincta, per quam immutetur, necnon etiam alia vibratione sibi extrinseca, & se tenente ex parte aquarum decurrentium: ergo etiam ut creatura permanens temporaliter correspondeat motibus celestium orbium, & nunc his, nunc illis coexistat, duratio aliqua à se realiter distincta ei necessaria erit. Rursus: ut arbor aquarum fluentis successivè vicina, & opposita sit, atque ad ea relationem localis indistantiæ dicat, necesse est, ut non solum arbor, & aqua fluminis vibrationes à se distinctas habeant, verumetiam ut habeant durationes à se distinctas, quibus nimirum tales vibrationes in eodem tempore coexistant: igitur à fortiori, ut una res alteri coexistat, ad eamque relationem temporalis indistantiæ dicat, durationes à se distinctas postulat. Tandem ob id arbor cum eadem numero vibratione modò his, modò illis aquis iuxta se propestantibus localiter correspondet; quia vibratio arboris est accidens suapte natura permanens: at duratio est accidens essentialiter successivum, & instabile; unde res durans vi unius durationis indivisibilis modò huic tempori extrinseco, modò alij coexistere non poterit.

22. Arguunt quartò: si duratio esset entitas realiter distincta ab existentia permanenti, & tempore fluente, esset essentialiter successiva, & permanentiæ omnis expers: consequens autem absurdum est: siquidem inde fieret, Deum non posse etiam de potentia absoluta conservare rem aliquam creatam, nempe durationem in vno instanti solo, postquam semel extitit in alio anteriori. Hoc autem detrahit dominio Dei; haud secus ac ei derogaret, si Deus rem aliquam, postquam semel extitit, in quovis instanti sequenti demoliri non possit. Respondeo: sicut non detrahit perfectissimo Dei dominio, quod chymeram producere nequeat, quia illa essentialiter repugnat: ita similiter nullum præiudicium dominio Dei affert, quod durationem essentialiter affixam instanti A, in instanti B. continere nequeat, cum tali durationi repugnet existere in instanti B. Inferius etiam hoc ipso tractatu ostendam, quatenus dominio Dei non obstat, quod rem aliquam semel existentem postea destruere nequeat.

23. Arguunt quintò: duratio est, qua res permanet in eodem esse, quod antea habebat: at si duratio non esset ipsa existentia rei prius producta, sed potius aliqua entitas distincta, ac de novo ei superaddita, duratio non esset permanentia rei in eodem esse, sed potius transitus ad aliud esse distinctum, nempe ad esse durationis: unde non tam duratio, quam augmentatio quædam dicenda esset. Respondeo: res, omnis vi suæ durationis permanet quidem in eodem esse primario: ceterum non permanet in eodem esse secundario, sed potius de vno in aliud quovis momento transuolat. Hinc est, ut duratio augmentatio dici nequeat; augmentatio enim ad esse primarium, aliud esse primarium adicit, & igni v. gr. alias partes etiam igneas superaddit. Arguunt sextò: qualitas per se ipsam intenditur, & quantitas per se ipsam extenditur: ergo etiam existentia per se ipsam durat, atque in suo esse protenditur. Respondeo negato antecedenti: quantitas enim per vibrationem distinctam extenditur, & qualitas per additionem graduum

intenditur. Arguunt septimò: rem aliquando existere est, eam aliquando durare, & rem diu, vel parum existere est, eam diu, vel parum durare: existentia ergo cum duratione coincidit. Respondeo hoc argumento solum probari, existentiam rei interdum sumi pro eius duratione successiva; hæc autem usurpatione existentie non vetat, quominus detur esse permanens rei; quod esse prout condistinguitur contra meram possibilitatem, rei existentia appellatur; licet prout distinguitur contra durationem, & existentiam successivam, essentia vocetur. Respondeo secundò non minus probabiliter, modos loquendi nobis obiectos tantum convincere, existentiam rei connotare semper durationem, non verò cum illa realiter identificari: quemadmodum etiam lignum, aliquando vel parum, vel multum calidum esse, est illud aliquando parum, multumve calefieri, non quod calefactio sit calor, sed quod eam connotet.

Arguunt octavò aduersarij: pro priori signo naturæ, pro quo existentia est proximè expedita ad durationem B. v. gr. causandam, ad eam præ quavis alia determinata, ac necessitata est, cum nunc diuinitus causare nequeat aliam durationem connotantem instantia iam præterita, vel nondum existentia: at quod existentia pro priori naturæ sit determinata, ac necessitata ad causandam durationem B. præ quavis alia, aliunde non oritur, nisi ex eo, quod pro illo priori coexistit instanti B. quam ea duratio respicit, & non alicui alteri; ergo existentia pro eo priori coexistit instanti B. at non per durationem extrinsecam, quæ nondum intelligitur: ergo præcisè per se ipsam, & ipsam instans: atque adeò coexistentia illa, seu duratio in hoc aggregato consistit. Hoc argumentum ab aduersariis iam diu oppositum aliqui nostrarum partium Authores ad probandum actionem esse durationem solerter accommodarunt. Vtrosque autem nihil concludere supra lib. 5. cap. 4. ostendi. Ibi vidimus, quatenus necessitas illa, ac determinatio, quam res habet ad causandam durationem B. à volitione Dei efficaci ad eam durationem terminatam oriri possit; eaque necessitas, & determinatio consequenter sit in quovis instanti, tametsi non pro quovis instanti, sed pro solo B. Ibi etiam vidimus, coexistentiam rei, & instantis B. in eodem signo naturæ non esse coexistentiam in eodem instanti reali, siue durationem realem: ac proinde, quamvis pro eo priori naturæ res, & instans B. coexistant, non propterea rem durare pro priori naturæ ad suam durationem.

CAPVT IV.

*Aliud argumentum inter neohebræos
celebre proponitur, &
dissolvitur.*

25. Tandem arguunt aduersarij: si existentia rei duraret per aliquid à se distinctum, etiam carentia duraret per aliquid à se distinctum, si quidem carentia rei est indifferens, ut existat quodammodo in hoc instanti, vel non existat; potestque dari carentia rei, & hoc instans secundum se, quin carentia rei detur in hoc instanti, sed potius

res

res ipsa: at carentia non durat per aliquid à se distinctum: ergo &c. Minor probatur: quia si carentia Petri verbi gratia duraret per aliquid à se distinctum, maxime per carentias durationum suarum non minus successiuas, ac fluxas quam continuo fluunt durationes ipsæ. Quid enim aliud excogitari potest, quo carentia Petri durer? Nisi velis, eam per aliquid reale posituum durare, quod non solum durissimum, sed etiam ridiculum est, atque ex eo falsum esse patet, quod carentia Petri nulla re à Deo creata, suo tamen modulo duraret. Sed sic est, quod carentia Petri per eiusmodi carentias durationum minimè durat: tum, quia aliàs darentur infinitæ carentiæ successivæ ab æterno eo quod carentia Petri ab æterno duraverit: infinitum autem successivum à parte ante omnino repugnat: tum etiam, quia duratio Petri essentialiter affixa instanti *A*. non fuit ab æterno: carentia ergo talis durationis fuit ab æterno: ac proinde talis carentia non est fluxa, & successiva, sicut ad durationem oportet, sed permanens, & stabilis.

26.

Huic argumento respondent aliqui, distincta duplici carentia cuiusvis durationis, alia permanenti, æterna, ac negatiua: alia verò successiva, temporali, ac priuatiua: cum enim duratio *A*. ab æterno non extiterit, nec statim præcedere debuit æterna, ac permanens eius carentia: cum autem duratio illa ab æterno existere non potuerit, suamve carentiam excludere, iure merito eius carentia negatiua appellatur. Hinc etiam fit, carentiam eius durationis esse successivam, & temporalem, eique instanti alligatam, eo quod non per illam, sed per aliam carentiam permanentem duratio habuerit ab æterno antea non extitisse. Hinc etiam fit, eam carentiam priuatiuam esse, eo quod à duratione opposita tolli possit: quod autem huiusmodi carentiæ successivæ ab æterno usque ad hoc instans infinitæ fuerint, ab his Authoribus inconueniens non reputatur. Alij respondent: carentiam temporalem Petri, hoc est, eam, quæ tempus imaginarium constituit, essentialiter successivam esse, & quouis instanti aliam, aliamque: unde eam æquiparari debere non existentie permanenti, quæ se ipsa durare nequit, sed potius durationi successivæ, quæ per semetipsam essentialiter durat: carentiam autem Petri æternam, hoc est, eam, quæ æternitatem imaginariam constituit, essentialiter permanentem, & indiuisibilem esse: unde per semetipsam durare posse, & debere. Porro cum Petrus, assignato quouis instanti in alio anteriori produci potuerit, possibiles esse carentias Petri, tam permanentes, quam successivæ syncategorematicè infinitas: quo fit, ut si Petrus ante incepisset existere; non illa, quæ modò, sed alia carentia permanens, breuior aliquantulum præcederet, & si adhuc antea incepisset esse, eius carentia permanens, & æterna adhuc breuior, & magis curta esset: quod autem breuior, breuiorque esset eius carentia æterna, citiusque desineret, eo plures, pluresque essent carentiæ successivæ, citiusque incepissent: carentiæ, inquam, successivæ aliorum hominum, quibus tanquam tempori imaginario Perus tunc coexistere.

27.

Multa in his solutionibus mihi displicent: illud tamen potissimum in prima improbo, quod durationis *A* huic momento essentialiter affixam carentiam ab æterno dari admittat: sicut

enim Petrum non esse Paulum, haudquaquam est carentia aliqua à Petro realiter distincta, sed est tantum ipsa eius entitas se ipsa essentialiter distincta ab entitate Pauli: ita similiter durationem *A*. ab æterno non durare, nec diuinitus posse, quid aliud esse potest præter essentiam ipsius durationis *A*, à quavis duratione æterna essentialiter distinctam per se ipsam? Illud verò præcipue in secunda solutione mihi non quadrat, quod & tempus imaginarium per carentias explicet, & etiam carentiam Petri in tempore eandem permanere non posse statuat; cum tamen existentia Petri in diuersis temporibus differentis eadem perseueret. Reiectis igitur his solutionibus, & aliis non absumilibus, quas fusiùs impugnare non vacat, alias duas profero, quibus nisi quod singulares sint, nihil ob stare conspicio.

28.

Pro intelligentia primæ solutionis præmitto; ex suppositione, quod detur existentia Petri in aliqua temporis differentia, nullam dari posse carentiam talis existentie secundum se sumptæ, sed duntaxat carentiam alicuius durationis, quam illa habere possit, nunquam tamen habitura est. Ratio huius est, quia Petrus existit secundum se, ut supponitur: ergo ex hac suppositione non potest non existere secundum se: ergo non poterit dari carentia existentie illius secundum se. Præmitto secundo; ex suppositione, quod Petrus à Deo nunquam producendus sit, & in nulla temporis differentia extiturus, hoc ipso dari carentiam illius secundum se, eamque æternam à parte ante, & à parte post esse. Ratio etiam huius est, quia carentia illa dari debet in aliquo instanti, haud aliter, ac eius oppositum daretur, si existeret: cum ergo non sit potior ratio, cur talis carentia in vno instanti, quam alio durer; eo quod Petrus, cui opponitur, in nullo instanti extiturus sit, & à nullo talem carentiam prohibeat, certè in quouis instanti imaginabili totius æternitatis necessario durabit. Hæc, quæ de carentia existentie præmissimus, seruata proportionem accommodari debent carentie durationis successivæ: aut enim ea duratio nunquam absolutè extitura est, & sic eius carentia per se ipsam essentialiter æterna erit: aut aliquando ea duratio extitura est, & sic nulla eius carentia dari poterit. Hinc ad argumentum respondeo: carentiam rei nunquam à Deo producendæ essentialiter sempiternam, atque omni temporis differentie præsentem esse, ac proinde non egere duratione à se distincta, esto illa indigeat res positiua, quæ essentialiter, & necessario sempiterna non est: carentiam verò rei aliquando producendæ in nulla temporis differentia vnquam dari, ac proinde nec per se ipsam, nec per aliud à se distinctum durare, cum nihil durare possit, nisi quod aliquo modo datur, & existit.

29.

Oppones tamen primò: Petrus non existit ab æterno: ergo eius carentia existit quodammodo ab æterno: sicut enim nequit dari Petrus, & eius carentia simul, & semel: sic fieri nequit, ut nec Petrus, nec eius carentia ab æterno extiterint. Respondeo: Petrus existens in hoc loco non existit in alio; & tamen non existit in aliquo eius carentia alicuius vocationis: aliàs Petrus, & eius carentia in eodem instanti reali simul existent, Petro hic, & eius carentia alibi existente. Rursus: forma Petri existens in hoc corpore non existit in alio; & tamen non propterea existit in

B b 4 alio

alio corpore carentia formæ Petri secundum se sumptæ, sed solum carentia vnionis, per quam forma illa alteri corpori copulari posset: ergo similiter quamuis Petrus existens in tempore non extiterit ab æterno, inde non sequitur, eius carentiam fuisse ab æterno: quapropter licet repugnet, dari simul ab æterno Petrum, & carentiam eius, non propterea repugnat ab æterno nec dari Petrum, nec carentiam illius secundum se sumpti: haud aliter ac quamuis in eodem loco res, & carentia rei, & in eodem subiecto forma, & carentia formæ dari nequeant, tamen subiectum sine forma & sine eius carentia, & locus sine re locata, & sine eius carentia reperiri possunt.

30.

Oppones secundo: si ex suppositione, quod Petrus existat non datur carentia existentia illius secundum se sumptæ, sed tantum alicuius durationis accidentaria: ergo etiam ex suppositione, quod Petrus existat, non poterit absolute destrui, sed tantum destrui poterit aliquod eius accidens: consequens est absurdum: ergo & illud, unde deducitur: sequelam proba: destrui rem est dari eius carentiam post eius existentiam: sed ex suppositione, quod Petrus existat, nequit dari eius carentia, tantumque dari potest carentia durationis sibi accidentis: ergo Petrus semel existens absolute destrui à Deo nequibit, solumque aliquod eius accidens destrui poterit. Respondeo: sicut conseruare rem non est producere eius esse secundum se sumptum, & iam productum, sed solum facere, vt esse illius duret, & vi accidentis denuo producti in instanti sequenti existat, ita similiter destruerem non est facere, vt detur carentia illius secundum se, sed tantum efficere, vt detur carentia alicuius durationis accidentaria, qua in hoc instanti existere possit. Equidem, sicut nulum inconueniens est in eo, quod Petrus duret in suo esse per aliquod accidens, non video, cur inconueniat Petrum absolute, ac simpliciter destrui per destructionem alicuius accidentis: præsertim cum non pruci ex ipsis aduersariis doceant Petrum hic, & Romæ existentem posse mori, ac destrui Romæ, per destructionem solius vocationis accidentaria, qua eius forma ibi aderat, esto nulla eius pars essentialis secundum se destruitur.

31.

Secunda solutio argumenti paulo supra à me pollicita, ac superiori non minus probabilis est: carentiam Petri carere omni duratione non solum positua, & reali, quod in conspicuo est, verum etiam negatiua, & eiusdem secum rationis, caret autem carentia Petri omni duratione, non quod ea absolute non detur, sed quod esto detur, in nulla tamen temporis differentia datur. Ratio huius est: quia munus carentia est excludere, ac destruere rem posituam: esse verò in tempore, & loco sunt proprietates rei positua, ac sine necessitate carentia tribui non debent; alias fingi etiam posset carentiam aliquam re ipsa & independentem ab omni operatione intellectus, constare etiam materia & forma negatiuis, sibi que proportionatis, esse etiam negatiue, quantam, & qualem, necnon actione, & passione negatiua præditam. Rursus; si Numini placet, carentiam aliquam cognoscere, & velle cognitione, & volitione, quæ sint eiisdem secum rationis. At quis hæc absurda esse non videat? Igitur non solum quoad hæc prædicata, verum etiam quoad existere in tempore, & loco corrigendus est no-

ster intellectus, vbi de negationibus hallucinatur, easque considerans ad res posituas paulatim dilabitur, entiumque proprietates non entibus asfingit. Dices tamen: poena damni reprobis à Deo inflicta est æterna: at eiusmodi poena est carentia visionis beatifica: ergo carentia est æterna, ac proinde durat. Respondeo: quemadmodum destructio realis alicuius entis dicitur talis absolute, non quod ea destructio sit in se realis, sed quod sit realis per denominationem à realitate entis, quod destruitur: ita similiter carentia visionis beatifica dicitur æterna non immediate, sed mediate tantum, ac per denominationem ab æternitate visionis, quam reprobo adimit. Dices secundo: res positua nunc non existit: ergo nunc existit, ac durat eius carentia. Verum huic argumento factum est satis paulo supra.

CAPVT V.

An res ab omni tempore, ac duratione simpliciter absolui possit?

Huius questionis negatiua pars ab omnibus communiter supponitur: verum nonnulla sunt, quæ mihi dubiam illam reddant, oppositamque sententiam probabilem esse suadeant. Etenim si qua ratione existentia rei sine duratione conseruari non posset, maxime vel ob identitatem existentia cum duratione, vel ob dependentiam existentia à duratione. Quæ enim alia ratio excogitari potest? At neutra harum vrget: non identitas, quia nulla datur: non dependentia, quia maior est dependentia durationis à durante, quàm è conuerso rei durantis à duratione, cum hæc sit à posteriori, illa verò à priori: at sic est, quod duratio conseruari potest diuinitus sine re durante: ergo & vice versa. Minor perspicua est, quia duratio est res absoluta, sicut vbi: quod tamen si negatur, vel in ipso vbi, vel quouis alio accidenti absoluto idem argumentum confici potest.

32.

Præterea, carentia rei datur à parte rei independentem ab omni operatione intellectus; & tamen non datur in aliqua temporis differentia, vt in fine capitis præcedentis vidimus: quid ergo verat, rem posituam diuinitus existere, quin in aliqua temporis differentia existat, aut duret? Rursus: non magis repugnat aliquid absolui ab omni tempore, quàm absolui ab omni loco: at res creata potest supernaturaliter absolui ab omni loco, vt plures aduersarij fatentur, præsertim verò P. Monceus disput. i. cap. i. & 8. Qui edo controu. i. 5. punct. 7. ac P. Vazquez disput. i. 88. necnon multi Thomistæ, qui Angelum existere in loco per operationem, & aliunde cessare eum posse ab operando existimant. Tandem, potest res creata diuinitus non esse quanta, nec qualis, nec intrinsecè, & accidentario relata ad aliquid, neque etiam agens, aut patiens: sit etiam, & habitu priuari potest: cur igitur duratione, & vocatione per miraculum spoliari nequeat, sicut reliquis accidentibus prædicamentalibus miraculose denudari valet?

33.

Obiicies tamen primò: implicat rem aliquam esse, & nusquam esse, aut eam esse, & nunquam esse: at si à tempore, & loco absolueretur res aliqua, ea quidem esset, & tamen nusquam, ac nunquam

34.

quam esset. Maior & per se nota videtur, & expressè habetur apud Aristotelem lib. 4. Physic. cap. 2. ibi: *ea enim, quæ sunt, alicubi esse omnes existimant: quod namque non est, nusquam est.* Necnon apud Gregorium Nazianzenum orat. 2. de Theologia ibi: *nam si id, quod non est, nusquam est, id quoque quod nusquam est, nec quidquam fortasse est.* Respondeo: quemadmodum nomina existentia propria durationi interdum accommodantur, & existere pro durare accipitur: ita è conuerso accidere, vt duratio existentiam, & carentia durationis carentiam existentia aliquando significet, ac vltato quodam loquendi modo nusquam esse, aut nunquam esse pro absolute non esse accipitur: in hoc autem sensu implicat rem esse, & nunquam, & nusquam esse: quia nihil aliud esset, quam eam absolute esse, & absolute non esse: in hoc verò solum sensu Aristoteles, & Nazianzenus intelligendi sunt: præterquam quod alter subdubitanter loquutus fuerit, de alterius verò Autoritate parum curandum sit in questionibus de potentia absoluta, quam prorsus ignorauit.

35. Obiicies secundò. Deus omnino necessario, & inenitabiliter tempori labenti coexistit, in eo que durat: hæreticum enim esset asserere, Deum aliquando non esse: at non alia ratione, nisi quia Deus necessario existit, ac proinde tempori existenti non potest non coexistere: cum ergo omnis creatura ex suppositione, quod existat, necessario existat secundum se, sanè non poterit ex suppositione, quod existat, non coexistere tempori labenti, in eo que durat. Respondeo, non idcirco Deum necessario, & inenitabiliter tempori labenti coexistere, quia vtcunque necessario existit, sed quia eius existentia necessaria est essentialiter æterna: æternitas autem cuius temporis differentia necessario coexistit, ac propterea comparatur centro alicuius circuli, quod omnibus punctis circumferentiæ necessario correspondet, & ad illa lineas rectas omnino æquales transmittit. Cæterum existentia creaturæ per se ipsam essentialiter æterna, aliove modo durans non est: quare tametsi necessario existat secundum se ex suppositione, quod sit, tempori tamen extrinseco necessario non coexistit. Obiicies tertio: omnis creatura à Deo producta est effectus Dei: ergo ei omnino necessario, & inenitabiliter coexistit; effectus enim nequit non coexistere causæ: at coexistere alicui rei est esse in eadem temporis differentia cum illa: ergo omnis creatura omnino necessario, & inenitabiliter existit in eadem temporis differentia, in qua eius creator existit, ac proinde necessario durat. Respondeo, supra lib. 4. fusè à me probatum esse, non esse de conceptu essentiali effectus vt causæ suæ in eadem temporis differentia coexistat: quare hoc argumentum nullius momenti esse.

36. Obiicies quartò: omnis creatura debet, etiam spectata absoluta Dei potentia, esse distans ab hoc loco ven. gratia vel indistans; necnon etiam eandem distantiam, aut indistantiam habere debet respectu huius instantis A: distare autem ab aliquo loco, aut tempore est esse in alio spatio loci, vel temporis; indistantiam verò sortiri respectu cuiusdam loci, vel temporis est in iis localiter, aut temporaliter esse: ne ergo diuinitus fieri potest, vt quidpiam sit, aut existat, & non sit existens in aliquo tempore, aut loco. Respondeo:

nihil produci posse à Deo, quod non sit vel distans, vel indistans respectu cuiusvis spatij localis, temporalisve. si sermo sit de indistantia negatiua, & contradictoriè opposita distantia: secus verò, si loquamur de indistantia contraria, quæ consistit in positiua, & intima presentia ad spatium aliquod loci, seu temporis: creatura ergo, quam Deus absolueret ab omni loco, & tempore, nec foret distans ab hoc loco, & instanti, nec indistans positiuè, & contrariè, sed tantum negatiuè & contradictoriè: at negatiua indistantia respectu temporis, & loci non tam esse quidpiam in tempore, aut loco, quam in iis non esse importat.

Obiicies quinto: si corpus aliquod absolueretur ab omni loco, eius partes essent, & non essent in loco: non essent in eo: quomodo enim possent esse in loco, cum totum corpus ab iis realiter indistinctum locum non occuparet? Essent verò in loco: quia aut essent extensæ, aut inextensæ, siue alia extra alias, aut potius non extra se inuicem: si essent extensæ, & alia extra alias, eo ipso locum replerent: particula enim *extra, intra, supra*, &c. aliaque similes significant presentiam ad locum: quod si non essent extensæ, nec extra se mutuo, sanè hoc ipso essent penetratæ: penetrari autem aliqua extrema est ea esse in eodem loco, adeoque locum absolute occupare. Porro, si corpus non potest absolui à loco, vt hoc videtur argumento conuinci, vtque tuentur Suarez libro 3. de Angel cap. 3. & Arriaga disp. 14 sect. 4. certè à fortiori laud poterit vlla res creata, siue corporalis, siue corporis expers absolui à tempore, seu duratione omni. Respondeo: partes corporis ab omni loco absoluti locum occupaturas, neque quod eum non occuparent, solide probari: forent enim inextensæ, & non extra se magis negatiuè, quam positiuè: vt in simili etiam nuper dictum est: talis autem inextensio, & extraneitatis mutua negatio non argueret in iis penetrationem, nec consequenter presentiam ad locum.

Obiicies sextò: res absoluta ab omni tempore eo ipso existeret simpliciter, & non existeret simpliciter: quæ sunt contradictoria. Prior contradictionis pars est perspicua: nam absolui simpliciter à tempore est rem simpliciter existere, & tamen non habere existentiam in vilo tempore, seu duratione. Posterior eiusdem contradictionis pars suadetur: nam res absoluta ab omni tempore hoc ipso tantum existeret secundum se: atqui rem existere secundum se non est simpliciter, ac propriè existere: ergo, &c. Antecedens ostenditur: siquidem res postquam destruitur, existit tamen secundum se: solaque durationum, quas poterat habere, existentia spoliatur: & tamen supposita destructione sui propriè, ac simpliciter non existit, vt est luce clarius: existere ergo secundum se haud est simpliciter existere.

Respondent aliqui, creaturam, quam Deus ab omni tempore absolueret, extitutam simpliciter; nequaquam verò ita non extitutam: quia, inquit, licet existeret tantum secundum se, at hoc ipso existeret semper in æternitate, quod est simpliciter existere: quod autem hinc sequatur, rem destructam existere simpliciter, non quidem in tempore, sed in æternitate, id minime esse absurdum. Pari etiam ratione rem creatam, si absolueretur ab omni loco, fore tamen intimè presentem

præsentem Deo, ab eoque positivè indistantem, ut docet P. Quidam citata controuersi. 15. Physic. punct. 8. Hæc tamen solutio mihi placere non potest: quia quod attinet, ad rei, siue destructæ, siue etiam productæ præsentiam veram, & formalem ad æternitatem ab æterno, ac semper; ea quidem professio est à nobis confutata in Dialectica, cum sermo esset de veritate propositionum de futuro contingentia absoluto. Quod verò spectat ad intimam præsentiam, atque indistantiam positivam respectu diuinæ immensitatis, quam in re ab omni loco absoluta datum iri affirmant aduersarij, ea me iudice est adeo commentitia, ut nihil supra. Etenim creatura sic absoluta ab omni spatio loci, nec esset præsens diuinæ immensitati totaliter sumptæ, & quatenus omni loco possibili commensæ: id enim esset, eam creaturam esse ubique, quod plus esset, quam esse alicubi: neque esset præsens immensitati inadæquate sumptæ, & quatenus aliquod spatium loci limitatum, destinatumque respicit: hoc enim esset eam coexistere immensitati in illo spatio loci, adeoque locum aliquem certum occupare: nec denique esset præsens immensitati diuinæ, quatenus ab omni loco absoluta: esse enim quidpiam localiter præsens alteri, quatenus ab omni loco absoluta ex terminis omnino repugnat: & perinde est, ac si fingeres, quidpiam esse alteri realiter simile absque vlla similitudine reciproca ex parte alterius; aut obiectum aliquod esse intentionaliter, siue intellectualiter præsens animæ nihil omnino intelligenti, sed potius ab omni intelligendi actu prorsus absoluta.

40.

Vnde secundo sic argumentor aduersus eandem solutionem: si creatura, quam Deus absolueret ab omni loco, esset præsens immensitati diuinæ, eo ipso esset in loco: creaturam autem absolutam ab omni loco, locum tamen occupare, in eoque esse repugnat: ergo & quod esset præsens immensitati diuinæ. Maior probatur: quia nequit aliquid esse præsens alteri existenti in loco, quin hoc ipso sit in loco, siue ab eo positivè indistans: at diuina immensitas est necessario in loco: ergo si creatura absoluta ab omni loco præsens tamen esset immensitati diuinæ, eo ipso non posset non esse in loco. Diuinam immensitatem esse necessario in loco, patet: nam in primis Deus est in se ipso, tanquam in loco reali, ipsæque quod eodem redit, est locus realis sui: ita Vasquez 1. p. disp. 19. & quidem sponte sua est manifestum: namque ut Deus per se ipsum intelligit, vult, & durat, estque sua intellectio, volitio, atque duratio: quidni sit etiam locus realis sui ipsius, in quo verè existat? At nequit Deus esse in se tanquam in loco reali, & verò, quamvis verè indistincto, nisi per suam immensitatem: hæc ergo est in eo loco, haud secus ac, quia per intellectum suum intelligit, eo ipso nequit eius intellectus non dici, & esse intelligens: parque est ratio aliarum denominationum, quibus est præditus. Deinde immensitatem diuinam, Deumque ratione illius necessario esse in loco, siue spatio imaginario improprie quidem, ac secundum quid, non minus quam creaturam, constitutum est à nobis supra tract. præced. cap. 2. idque ipsum docet Suarez disp. 30. Metaphys. sect. 3. num. 3. Molina 1. p. quest. 8. art. 1. disp. 3. Arriaga disp. 14. sect. 4. & Hurtadus disp. 14. sect. 3. Nec refert, Deum ut immensum, siue eius immensitatem non esse pro-

prie, & realiter in loco imaginario à se distincto, quod tantum volunt Augustin. Bernard. Tertullianus, Theodoretus, necnon Scotus, Bonau. Capreol. Durandus, & alij Scholastici relati, atque obiecti à P. Vasquez vbi supra, & à P. Fasolo 1. p. q. 8. art. 2. dub. 3. non, inquam, id refert: nam factis est, immensitatem diuinam esse necessario præsentem secundum quid, & improprie loco imaginario, ad id ut creatura ab ea positivè indistans, eique præsens, locum imaginarium saltem secundum quid occuparet: adeoque ut esset in illo (facta hypothesi nostræ disputationis) non minus quam in eo est modus: quis enim non videat, creaturam modo solum secundum quid esse in eiusmodi loco? In eo enim quod simpliciter non est, nihil esse potest simpliciter.

Melius ergo responderi potest ad sextam illam obiectionem, haud sequi ex nostra sententia nisi priorem contradictionis partem, scilicet quod creatura, quam Deus absolueret ab omni duratione, nihilominus existeret simpliciter. Ad probationem autem contrariam dicendum est, quod existeret secundum se est quidem simpliciter existere: quare hoc ipso, quod creatura ab omni tempore absoluta saltem existeret secundum se, profectò & existeret simpliciter: exemplum autem creaturæ destructæ non vrget: etenim iuxta posteriorem solutionem, earum quas cap. præcedente adhibui celeberrimo inter neothericos argumento, per quam facile dici potest, eiusmodi creaturam non existeret secundum se, sed potius existentia secundum se, qua antea gaudebat, dari carentiam: quare nihil mirum esse, quod creatura sic destructa simpliciter non existat, tamen ita diceretur, & esset existens res creata, quam Deus absolueret ab omni temporis intervallo.

41.

Secundò etiam responderi potest, nec minus probabiliter ad sextam illam obiectionem, ex nostra sententia sequi quidem, quod creatura absoluta diuinitus ab omni duratione, existeret simpliciter, & non existeret simpliciter: at existeret simpliciter in solo instanti naturæ, ad modum quo simpliciter existit de facto omnis res pro priori ad suam durationem: & non existeret simpliciter in instanti reali: ita autem simpliciter existere, & simpliciter non existere non sunt contradictoria: sicut è conuerso non existere simpliciter in aliquo instanti naturæ, & simul existere simpliciter in instanti reali, non opponuntur contradictioni, sed potius de facto componuntur inuicem, ut patet verbi gratia in voluntate nostra pro priori signo suæ libertatis, & indifferentiæ proximæ simpliciter non amanti in tali signo, siue instanti naturæ; & tamen in toto instanti reali simpliciter exercentis amorem. Quod autem attinet ad creaturam destructam, dicendum est & eam ita non existere simpliciter in instanti reali; ut simpliciter existat in instanti aliquo naturæ, eo scilicet, quo præsupponitur indifferens ad id, ut destruat, vel non destruat: & verò existentia simpliciter pro instanti solius naturæ nequit eius obesse destructioni: aliàs è contrario amorem verbi gratia non existere simpliciter pro instanti naturæ priori, obesset eius productioni pro posteriori, quod tamen est ridiculum.

42.

Tertio denique responderi potest ad eandem obiectionem superiorem, fore quidem ut creatura, quam Deus sine villo tempore produceret, eo ipso non esset existens simpliciter, sed tantum secundum

43.

secundum quid; atque hanc solam contradictionis obiectam partem ex nostra deduci sententia. Probatio autem contraria non est ullius momenti; nam cum dicimus, creaturam aliquam posse simpliciter absolui ab omni duratione, hoc ita intelligendum non est, quasi particula *simpliciter* appelleret supra existentiam rei create, sed ita ut appelleret supra eius durationem: ut sensus sit, creaturam aliquam posse quodammodo existere, quin simpliciter dureret, aut alicui tempori strictè commensuraretur.

44. At dices contra postremam hanc solutionem: res pro priori naturæ ad suam durationem de facto simpliciter existit, ut supra falsi sumus, utque ex eo constat, quod sit causa physica suæ durationis; huiusmodi enim modus causandi nisi principio simpliciter existenti non continetur: & tamen pro illo priori res non existit in instanti ullo temporis: falsò ergo asseruimus, rem, quam Deus absolueret ab omni duratione, hoc ipso non esse simpliciter, sed secundum quid existituram. Dices iterum: si ob id dici potest, creaturam aliquam absolui simpliciter ab omni duratione, quia sine omni duratione simpliciter tali potest secundum quid existere, quidni etiam de facto possit aliquid simpliciter absolui ab omni duratione? Siquidem creatura destructa, non obstante destructione sua, existit secundum quid: & tamen non durat simpliciter, nec tempori strictè commensuratur, ut antea: creatura etiam merè possibilis habet esse secundum quid, idque quin simpliciter dureret, aut tempori coexistat. Quæ cum ita sint, sequela posterioris instantiæ videtur esse manifesta. Consequens autem est non minus manifestè absurdum: quidquid enim sit, an possit Deus rem simpliciter absolui ab omni tempore, & duratione; at quis dicat, similem rei absolutiorem ab omni tempore de facto vnquam contingere?

45. At neutra instantia admodum premit. Ad priorem dicendum est, rem pro priori naturæ ad suam durationem posse quidem dici simpliciter, ac verè existentem; ceterum non nisi cum hoc addito, *in instanti naturæ*, aliove simili: idque & non aliud à nobis supra admissum: at verò quantumvis res existat pro signo priori rationis, haud propterea eam dici posse simpliciter existentem sine ullo additamento, sed potius, si absolute, & sine adiectione loquamur, eam duntaxat secundum quid existere. Nec obest, existentiam, quam pro illo priori res habet, esse simpliciter talem: nam huiusmodi existentia petit pro conditione sine qua non, durationem rei, ad hoc, ut rem denominet simpliciter existentem: quare mirum non est, quod absque adiectione loquendo non denominet simpliciter existentem rem pro priori ad eius durationem. Sic, esto pro priori ad expulsionem peccati existat qualitas gratiæ, quam plures se sola esse iustitiam, & filiationem Dei adoptivam autumant, tamen non denominat hominem iustum, aut Filium Dei adoptivum, nisi pro posteriori quo expellitur peccatum, eo quod hæc expulsio sit conditio requisita ex parte subiecti ad utramque denominationem simpliciter, ac strictè accipiendam. His ergo constitutis affirmandum iuxta ea est, rem, quam Deus absolueret ab omni duratione, si loquamur absque omni adiectione, haud existituram simpliciter, ac strictè, sed tantum secundum quid, defectu nimirum capacitatis pro-

xime, quam ad eam denominationem tribuere potest sola duratio: atque hinc est, ut verbum existendi absolute, & sine ulla moderatione prolatum semper significet durationem. Ad posteriorem instantiam dicendum est, haud effici ex nostra sententia, quod possit aliquid de facto simpliciter absolui ab omni duratione: nam quod attinet ad rem destructam, vi destructionis absoluitur ab aliqua duratione, ea scilicet, quam esset habitura, si non destrueretur: ceterum non ab omni; cum ad minimum necessario dureret de præterito, siue duraverit. Quod verò spectat ad creaturam merè possibilem, ea quidem absoluitur simpliciter ab omni duratione, sed non de facto, si rigorosè loquamur, cum nondum fiat, nec existat secundum se.

Obiicies septimò. Si creatura absolueretur ab omni duratione, hoc ipso non foret præsens æternitati diuinæ: qua ratione si quid existeret sine loco ullo, haud posset esse diuinæ immensitati præsens; ut contra P. Ouiedo & alios in impugnatione prioris responsionis argumento superiori adhibita ostendi. At repugnat etiam de potentia absoluta, ut creatura vlla non sit præsens æternitati diuinæ: ergo & repugnabit, quod absoluitur ab omni duratione. Minor, quæ sola eget probatione, probatur: quia repugnat vlla creatura, quæ non sit præsens intentionaliter, ac per cognitionem diuino intellectui, quæ est huius summa, atque omni ex parte illimitata perfectio: ergo etiam ad infinitam, summamque perfectionem diuinæ æternitatis spectat, ut nulla possit existere res creata, quæ non sit ei præsens, si minus ab æterno, saltem aliquando, quæ in illa non existat, alias in se non existit.

46. Respondeo concessa maiori, & negata minori. Ad cuius probationem dicendum est, ideo nullam creaturam existere posse, quin sit intentionaliter & per notitiam præsens diuino intellectui, quia omnis creatura habet veritatem transcendentalem, & obiectiuam, ratione cuius possit à Deo cognosci, pro quoque statu suo: verum autem nequit à Deo ignorari, eiusve intellectui præsens non esse. Pari ratione, si nulla creatura possit existere sine duratione, haud etiam posset non esse physice præsens diuinæ æternitati: at, cum magis sit, ut creatura possit spoliari duratione, quam veritate transcendentali (quippe hæc, non verò illa est ab eius entitate realiter indistincta) idcirco bene potest creatura diuinitus non esse præsens diuinæ æternitati, non obstante huius perfectione; sicut etiam non esset contra perfectionem diuini intellectus non cognoscere quod non esset verum, nec de facto contra illam est, non affirmare existentem rem, quæ verè non existit. Atque ex his constat aduersus Thomistas recentiores, adeò non esse necesse, ut res producat, seu producenda cognoscantur à Deo, ut præfentes physice æternitati ab æterno; ut non implicet aliqua à Deo prodici, quæ cognoscantur ab illo, & non vi præfentia æternitati, etiam pro sua differentia temporis, aut ullo modo.

47. Octauo denique obiicies: si posset creatura aliqua absolui ab omni tempore & duratione; sane & posset dari creatura, quæ repugnaret tempori & durationi, atque in nulla etiam diuinitus posset esse: quidni enim? Consequens autem est absurdum: ergo & id ex quo sequitur. Respondeo tamen, sequelam esse nullam: quia v.g. materia

materia prima potest absolui diuinitus ab omni forma substantiali: & tamen repugnat materia prima, quæ sit essentialiter repugnans omni formæ substantiali, eiusque incapax, cum materia definitio sit, quod sit primum subiectum formarum; similiter ergo non ex eo quod possibile sit aliquid absolui ab omni duratione, sequetur possibile esse, & quod quidpiam omni duratione repugnet, nullamve possit habere. Sic etiam non repugnat ignis, quem Deus absoluat ab omni calore: an propterea & possibilis erit ignis incapax caloris? Quidquid tamen sit de sequela, fortè consequens non est absurdum: vt enim est, quod suapte natura æternum est: nempe Deus Opt. Maximus: vt, quod æuo mensuratur, cuiusmodi est Angelus: vt, quod tempore, quale est omne corpus naturale corruptibile: vt, quod solo instanti, videlicet duratio momentanea: cur etiam in alia rerum serie possibile forsam non sit aliquid adeo imperfectum, vt non solum vix duret ad instar durationis instantaneæ, sed vt nullo modo duret? Atque de his satis:



TRACTATUS III.

De infinitate corporis naturalis aliarumque rerum quoad multitudinem.

CAPVT PRIMVM.

An multitudo corporum, siue rerum incorporearum syncategorematicè infinita à Deo produci possint

INFINITVM proprie, & philosophicè sumptum est, cuius aliquid semper est extra, hoc est, à quo quantumcunque numerum finitum, aut quantumcunque quantitatem determinatam, & finitam sumas, aliquid amplius desumendum superest: quanquam enim ab infinitate hominum possibilem 10. 100. 1000. decies mille, centies mille, millies mille, aliumve quemvis numerum abscindas, adhuc plures homines in infinitum residuerunt, extra eos, qui abscissi sunt: ita Aristoteles lib. 3. Phys. Quod verò nonnulli Philosophi apud Aristotelem indidem aiunt, infinitum definiti posse, & debere, cuius nihil est extra se, sustinendum non est: quia aut per definitionem denotatur, infinitum esse illud, cui nulla perfectio in suo genere deest, aut extranea est: & ita ea definitio non tam infinitum, quam perfectum quantumlibet finitum sic definit: aut per eam definitionem denotatur, infinitum esse cuius nihil in suo genere extra ipsum est, cuiue nulla additio in suo genere fieri potest: & ita falsa omnino est: si enim Deus à centro terræ sursum producat lineam infinitam, ea infinita erit, & tamen ei additio aliqua fieri potest non solum finita, quod instituto sufficeret, verum etiam infinita; nimirum si Deus eandem lineam deorsum in infinitum producat. Infinitum aliud est categorematicum: syncategorematicum aliud: infinitum categorematicum est, quod penes omnes suas partes simul existit: syncate-

gorematicum est, quod solum penes aliquas partes, easque finitas simul existit; ita tamen, vt ei accessio infinita fieri possit: cum enim terminus categorematicus talis sit, quia per se significat: syncategorematicus autem, quia non nisi adiuncto alteri significat; sanè infinitum, quod per se absque vlla additione tale est, iure merito dici debet infinitum categorematicum: quod verò per se finitum est, & non nisi adiunctione aliorum infinitum, eo ipso syncategorematicè infinitum appellandum est: prius infinitum est tale simpliciter: posterius verò secundum quid: prius est infinitum acta: posterius verò duntaxat in potentia.

Quibus positis censeo, multitudinem creaturarum quarumlibet syncategorematicè infinitam à Deo produci posse: hoc est, non tot entia, qualiacunque ab eo produci posse, quin semper plura valeant ab illo produci. Ita B. Thomas 1. p. quaest. 14. art. 12. & cum eo Thomistæ omnes. Ita etiam P. Vasquez 1. p. disput. 63. art. 2. P. Valencia tom. 1. disp. 1. quaest. 14. punct. 6. PP. Molina, Hurtado, Quieto, Arriaga, Conimbric. & ceteri Societatis nostræ Doctores. Quibus adde Okamum in 3. dist. 13. q. vnic. art. 1. Gabrielem, & plerisque Nominales. Probatur autem hæc nostra sententia: primò quia omnipotentia Dei est potentia infinita: ergo infinitos effectus producere potest. Antecedens perspicuum est: quia si omnipotentia non esset potentia infinita, non esset, cur alicui creaturæ communicari nequiret, aut cur aliqua creatura omnipotens esse non posset. Consequentia verò suadetur: quia potentia finita, qualis est humana, vel Angelica finitos solum effectus producere potest: ergo potentia infinita infinitos numero effectus producere poterit. Dices, omnipotentiam Dei esse potentiam infinitam ex parte modi, eo quod perfectissimo, & infinito modo operetur: secus verò ex parte termini: vnde non esse, cur terminos numero infinitos respiciat: contra tamen, quia eo ipso, quod omnipotentia Dei sit potentia infinita ex parte modi operandi, non est, cur non sit potentia infinita etiam ex parte termini: haud secus ac è contra potentia creata tam ex parte modi, quam ex parte termini finita est. Probatur secundò, quia anima rationalis verbi gratia durat per durationes successiuas à se ex natura rei distinctas: at durationes, per quas duratura est, sunt syncategorematicè infinitæ, id est, non tot, quin plures: ergo &c. Maior suprâ tract. 2. huius libri cap. 2. & seq. à nobis est ostensa. Minor probatur: quia anima rationalis æternum duratura est: at non per durationes numero finitas, & tot, non plures: ergo per infinitas.

Probatur tertio: non magis infinitus est intellectus Dei, quam omnipotentia Dei: at intellectus Dei infinita obiecta cognoscere potest: ergo & eius omnipotentia infinitos effectus, siue non tot, quin plures producere. Minor suadetur: quia intellectus Dei necessario cognoscere potest, & debet ea obiecta, quæ intellectus creatus cognoscere potest: aliàs aliquid nobis innotescere posset, quod Deum latere posset: at intellectus creatus infinita obiecta cognoscere potest; siquidem infinitas chimæras cognoscere potest: quot enim chimære fingi possunt? demus verbi gratia esse 10. mille: an non vltius alia chimæra fieri, siue cognosci poterit ab eo, qui præter enumeratas

enumeratas